Serenissima Regina

Gratô quidem Martyriô humanas exerces paſsiones
Sed simul inclementèr consumis vix cognitam
Tibi Poloniam, tædiô afficis natalem Saxo-
niam, Sponsum desiderio enecas, excessu Læti-
tiæ solam Siciliam cumulando, quæ te jam
Reginam adorat et Hospitem ad Complemen-
tum Fortunæ Suæ votis Omnibus expectat.
Nihil hic de invidia dicam, quæ meliorem
Europæ partem fere devorat, quòd Completiſsi-
ma quidem Virgo, sed teneris vix Nubilis Annis
Siciliæ geminis jam sis matura Coronis, inter
mortales Dea es, inter Deas pulcherrima. Unde
mirum non est a Serenissimô Carolô, seu à
Siculô Paride pomum Regale Tibi offerri, ut pa-
pulchriori Fruêre felicitate Tuâ, quæ Serenissimo
Sponso nimis quidem Lenta est, nobis verò per-
quam Celer, quæ Te Oculis Nostris, et admirationi
tam festinantèr eripuit, Nolumus tandem Sereniſsimi
Caroli tædiosiſsima Vota morari. Festina Regina
ad Thronum, Sponsa ad Thalamum, et intèr blandi-
entis Siciliæ delicias, ne obliviscaris Eorum, quos
in Polonia Serenmæ Tuæ Domini constanter
addictos non sine Mœrore religuisti.

...us Fors-
Regina
...loniæ.